batur inductione ſcripturæ, ubi hoc attributum εὐλογητὸς Deo Patri adſcribitur. *Luc. 1. v. 68. Rom. 1 v. 25. 2. Cor. 1. v. 3. & 11. v. 31. Eph. 1. v. 3. 1. Pet. 1. v. 3.*

6. Qvicunq; ſcit literas nunc didicit eas:
Doctor Theologiæ ſcit literas:
E. nunc didicit eas.

Reſp. Eſt iterum mala connexio disjungendorum. Particula enim *nunc, in majore* ad ſubjectum ſeu medium terminum, *in concluſione* verò refertur malè ad prædicatum, & ſic mutatur major terminus.

7. Omnes ſapientes Græciæ ſunt ſeptem:
Solon & Periander ſunt ſapientes Græciæ:
E. Solon & Periander ſunt ſeptem.

Reſp. Medius terminus *in majore* ſumitur *in ſenſu compoſito.* Vox enim *omnes* non eſt προσδιορισμὸς totius propoſitionis; ſed pars ſubjecti. *In minore* verò *in ſenſu diviſo,* qvia vox *omnes* omittitur. Subſumendum enim erat in Minori: *Solon & Periander ſunt omnes Sapientes Græciæ.* Sic medius terminus, qvi erat in majore, integer eſſet in minore. Sed ſic falſa eſt minor